DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

EXHIBENS

OBSERVATIONEM CVM EPICRISI

DE

DIARRHOEA MILITIBVS ROSSICIS FAMILIARI

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

ANNVENTE ILLVSTRI FACVLTATE MEDICA

PRO

GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

LEGITIME OBTINENDO ERVDITORVM EXAMINI

SVBIICIT

ABRAHAMVS FRIDERICVS EVROPAEVS

WIBVRGENSIS.

JENAE LITTERIS MAVKIANIS

MDCCLXXXXIV.

À MONSIEUR

ALEXANDRE WASILIWITZ DE SOLTIKOFF

BRIGADIER DES ARMEÉS DE SA MAJESTÉ L'IMPERATRICE DE TOUTES LES RUSSIES ETC. ETC.

MONSIEUR!

J'ose Vous offrir ces premiers essais, que je viens de publier, comme le tribut d'amour et de Véneration, que je Vous dois. J'entretiendrai toujours le souvenir de bonté, avec la quelle Vous m'avés reçu dans Votre maison, la reconnoissance, que j'en ai, sera perpetuelle. Je travaillerai de me rendre toujours plus digne de Vous, en redoublant d'efforts pour être utile à ma patrie. Je suis

MONSIEUR

Votre tres-humble et tres obeïssant
Serviteur
A. FR. EUROPEUS.

PRAEFATIO.

Multa ſunt in medicina et chirurgia, quae ſub initio videntur eſſe leviora, poſt vero graviora fiunt, tandem poſt fata deteguntur in cadavere phaenomena mirabilia, quorum cauſae vix ac ne vix quidem inveniri poſſunt, dubitanter vel probabiliter explicari debent. Hinc orta eſt immenſa obſervationum caterva, unde aliqua lux affulgere poſſit pathologiae et therapiae, reſtantque adhuc multa nondum ſatis definita. Haec praefanda duxi, cum aliqua *de diarrhoea* ſcribere auſus ſim, morbo quidem vulgari ac levi, ſed, quoad cauſas varias, adhuc vario et mutabili. Deprehendi etiam in hac quandam inteſtinorum conditionem, quam alias me legere non memini, et explicavi ſedulo, certe, quo potui. Num rem acu tetigerim, viderint alii me peritiores.

Obſervatio.

Praeter alios morbos Roſſiae militibus in caſtris degentibus quam maxime infeſtos, febrem putridam, bilioſam, ſcorbutum, dyſenteriam atque rheumatiſmos, diarrhoea peculiaris indolis communis et ut plurimum admodum funeſta fuit.

Saepiſſime in exercitu hancce obſervare contigit, obſervarunt et alii medici, et chirurgi dexterrimi, varias adhibuerunt medendi methodos, ſed inter decem vix unus evaſit.

Symptomata hancce diarrhoeam concomitantia ſunt levis ſolummodo febricula, ſpeciem febris putridae plane non prae ſe ferens, pulſus quippe non adeo debilis, neque frequens eſſe ſolet, lingua non multum ſordida, nulla plerumque adeſſe ſolent tormina, quandoque modo leviora, attamen frequentiſſimis torquentur alvi deiectionibus, ſed absque teneſmo, uti is in dyſenteria eſſe ſolet. Morbo increſcente, ita, ut nunc mors ante fores ſit, tum demum diarrhoeam malignam aemulatur, vires quippe vitales nunc deiiciuntur, pulſus fit debilis ſimul et frequens, omnia aſſumta tum liquida, tum ſicca per anum eliminantur cruda et incocta, facies in corpore exhauſto ſeſe oſtendit hippocratica, deliria tandem et convulſiones hiſce miſeriis finem exoptatum imponunt. Equidem hiſce ſub circumſtantiis ſuſpicans acrimoniam haerentem in primis viis, uti id in omnibus fere diarrhoeis ſuſpicari licet, ſtatim ab initio eandem

dem

dem lenioribus eccoproticis eliminare tentavi, ſed diarrhoea perduravit, uti antea. Exhibui tunc lenientia, demulcentia, uti gummi Arabicum, decocta ex oryza atque hordeo parata, ſed omnia incaſſum fuere tentata. Tandem confugi ad opiata, ut paululum ſaltem pertinacem ventris fluxum compeſcerem, ſed omnia mea conamina irrita fuere; omnes plerumque ad plures abierunt.

Secui tandem quaedam hoc morbo defunctorum cadavera, ut morbi cauſam curatius eruerem; ſequentia deprehendi phaenomena. Abdomine inciſo, ventriculum atque inteſtina naturali fere in ſtatu vidi; Nulla inflammationis ſigna aderant, tantum maiori bilis copia infarcta erant. Hepar totum quantum ſanum, iuſto autem turgidius conſpiciebatur; Quum autem ad inteſtina craſſa perveneram, en eadem omnia penitus friabilia erant, ita, ut inter digitos perteri ac imminui potuerint, intus copioſiſſima bile aquoſa repleta. Guttulam huius bilis deguſtavi, neque multum amara erat, neque aeri et naribus expoſita ullum fere foetorem ſpirabat. Inquiſivi hinc in veſiculam felleam, quam turgidam et eiusdem indolis bile plenam deprehendi. Quaenam inde conſectaria deducenda ſint, quamque dein medendi methodum adhibuerim, in poſterioribus dicam. Placet prius *de variis diarrhoeae ſpeciebus*, non de omnibus, (nam tali modo praemagnus inde ſurgeret tractatus,) attamen de potioribus diſſerere.

§. I.

§. I.
Synonyma diarrhoeae.

Diarrhoea, rheumatiſmus inteſtinorum, rheuma gaſtros, catatropha Graecis, diarria Anglis, alvi fluxus, ventris profluvium Latinis, diarrhee, cours de ventre, benefice de nature Gallis, *Durchlauf* Germanis appellari ſolet.

§. II.
Deſcriptio diarrhoeae.

Quando itaque faeces iuſto liquidiores vel aliae ſordes heterogeneae iuſto maiori in copia eliminantur per anum, tunc diarrhoea adeſſe dicitur, quaſi dixeris *perfluvium* id, quod Graeci per διαῤῥέειν indicare voluerunt.

In ſtatu quippe naturali faeces ſolidae, fere exſuccae eiiciuntur, eaeque eo quidem ſolidiores, quo homo eſt robuſtior; Denctat hoc naturalem tonum et iuſtum inteſtinorum motum periſtalticum, humores blandos, ſimul et ſufficiens vaſorum reſorbentium robur, ita, ut omne id liquidum, quod adhuc nutritium eſt, etiam ex craſſis tandem inteſtinis exſugatur, et ad humorum maſſam deferatur.

Quodſi vero motus ille vermicularis nimis languidus eſt ab inteſtinorum atonia, id eſt, ſi vaſa inhalantia iuſtum tonum amiſerunt, ita, ut liquidiora non in ſufficienti copia reſorbere amplius valeant, calore quoque loci acria reddita ſub diarrhoeae ſpecie ſecedunt per anum, uti id in omnibus laxae nimium compagis hominibus et quoque in foeminis, quibus ſyſtema nervorum admodum mobile, hinc debile eſt, animadvertere ſolemus. Haec itaque prima diarrhoeae cauſa erit.

Si

Si autem motus ille intestinorum naturalis variis ex caussis nimium adauctus est, si id fit ab acrimonia ibidem haerente, id ipsum iterum caussa diarrhoeae erit.

§. III.

Distinctio ab affinibus intestinorum profluviis.

Distinguenda autem venit diarrhoea ab aliis alvi fluxibus. A coeliaca quippe et lienteria, quum in hisce morbis alimenta vel cruda, vel in chylum quodammodo mutata reiiciantur per alvum, quod non ita fit in diarrhoea, nisi primae viae tandem adeo debilitatae fuerint, ut vera lienteria oriatur. Differt porro a dysenteria, quum nullus fere in nostro morbo observetur tenesmus, et si quando levior adesse videatur, tunc ille non inanis est, quum semper aliquid egeratur *a*). Differt tandem a fluxu hepatico, quum in hoc serum sanguine mixtum, hinc subrubellum copiose, ut plurimum noctu, absque dolore vllo excernatur per alvum. Hoffmannus fluxum hepaticum sine sanguine notavit, quando quidem, obstructo hepate, humores retrogrado motu denuo in cavum intestinorum urgentur ac pelluntur.

§. IV.

Diarrhoea critica.

Licet morbus vere sit *diarrhoea*, tamen haud raro *critica* est, et hinc salutaris observatur a practicis, tuncque motus naturae est automaticus, a sympathia virium vitalium earumque iusto robore derivandus, quo quippe fit, ut omne acre in intestinis

(*a*) Cf. Sauvages Nosol. method. T. III. P. II. p. m. 133.

testinis genitum, vel ex aliis corporis partibus huc delatum secedat feliciter de corpore. Hinc et HIPPOCRATES (*b*) inquit, *in perturbationibus alvi sponte contingentibus, si quidem qualia purgari oportet, purgentur, confert; Sin minus, vice versa.* Attentus quippe medicus ad spontaneas illas evacuationes respicere debet, ex quibus causis ille oriantur, ut dein quoque certo sciat, utrum promovendae, an moderandae sint.

Salubris esse solet haecce evacuatio, si nimia adest in corpore humorum copia, si serum abundat, quod haud raro ad intestina delatum, atque sub diarrhoeae specie per anum dimissum restituit iterum iustam sanguinis crasin; hinc salutaris observatur in cacochymia serosa, in hydrope, ut et in variis cerebri morbis. Adeoque medicus naturae conaminibus succurrere tentat, atque laxantibus lenioribus exhibitis huncce fluxum promovere studet.

Quodsi autem diutius iusto perdurat, eandem omnino moderari vel coercere debet. Eaedem cautiones quoque observandae sunt, si superabundans humor morbosus vel ex nimiis ingestis, vel ex morbo progenitus adsit. Quae nisi diutius perduret, salutaris omnino est; Quodsi autem adeo magna et diuturna est, ut corporis vires inde frangantur quam maxime, tum funesta est. Hinc HIPPOCRATES nimiam humorum profusionem, quum metus convulsionum adsit ab inanitione, letalem iure suo pronunciat. Hinc hypercatharsis a purgante drastico orta plerumque funestos producit effectus. Ipse novi puellam rusticam, quae ab assumta nimia dosi tincturae jalappae per plures dies im-

(*b*) Aphor. L. I. Aph. II.

immanes alvi fluxus experiebatur, tandemque diris convulsionibus correpta abibat ad plures.

§. V.

Diarrhoea salutaris.

Sub hisce conditionibus diarrhoea haud raro salutaris esse solet in febribus intermittentibus, cum fomes morbosus haereat in ventriculo aut intestinis, vel et in systemate gastrico, vel in ipsa humorum massa. Critica non minus esse solet in febribus acutis, si in hisce locis nidulatur materies peccans, quam diarrhoea circa dies inprimis criticos, vel et declinationis tempore suborta aufert. Imo Hippocrates (*c*) refert multos hisce morbis laborantes alvi excretione sanatos fuisse, et contra, malum in febribus pronunciat, si nihil excernatur per alvum. Hinc quoque in omnibus febribus ventrem clystere purgandum esse monet. Galenus quoque multas vere pestilentes constitutiones alvi fluore iudicatas recenset. Riverius (*d*) mentionem facit febris malignae, quae alvi fluxu moderato feliciter terminata fuit. Hic autem probe notandum est, quod materies morbifica prius cocta esse debeat, quam per alvum egeratur; hinc in eius statu vel declinatione orta diarrhoea omnino salutaris esse debet. Ex hac causa medico praeprimis eo allaborandum est, ne alvus deficiat, quum haecce via regia plerumque sit, qua natura quodcunque corpori inimicum eliminare tentat.

§. V.

Animi motus diarrhoeae causa.

Quantum imperium animi pathemata in totam oecono-

 miam

(*c*) Libro de atra bile Cap. IV.

(*d*) Observ. Cent. I. Obs. 47.

miam animalem nervorum ope exerceant, notum eſt. Ab aliis quam maxime acceleratur oculi nictu citius ſanguinis circulatio, hinc excitantia vocari ſolent, qualia gaudium, amor, ira etc. ſunt; alia eandem retardant, uti moeror, triſtitia, terror; hinc reprimentia appellantur. Id quod explicatu difficillimum eſt; Rationem eius is demum recte explicabit, qui intimum illud inter animam et corpus commercium probe cognitum habet. Experientia enim notum eſt, quod pro variis hiſce animi pathematibus ab diarrhoea ſuborta mox ſalubres, mox funeſti obſervari ſoleant effectus. Sic diarrhoea irae ſi ſupervenit, bonum eſſe ſaepius obſervavit Baglivius (e). Neque de hoc quidem dubitandum eſt; Exagitantur enim inde quam maxime humores, ad minima usque vaſcula celerrime propelluntur, ita, ut facillime ibidem ſtagnando peſſimas febres inflammatorias inducere valerent, niſi benigna natura quandoque ſuperfluum humorem ad vaſa meſaraica determinaret, ita, ut, anaſtomoſi facta, in inteſtinorum cavum deplueret, ſicque ſub diarrhoeae ſpecie ſecederet de corpore.

§. VI.

Transſpiratio ſuppreſſa.

A tranſpiratione ſuppreſſa haud raro in ſalutem aegrotantis diarrhoea obſervari ſolet; Compenſationem loci vocant pathologi; Sic enim id acre, quod in ſtatu naturali per cutim exhalare debet, ad inteſtina delatum vellicante ſua natura huncce canalem ſtimulando per crebriores alvi ſeceſſus eliminatur. Saepius autem, ſi illud perſpirabile nimis acre fuerit, uti id praeprimis tempore aeſtivo ob validam humorum circulationem fieri ſolet, dyſenteria oritur, quamque ſaepius apud noſtrum exercitum obſervavi. Suadente Cel. Sydenhamo, ſudoriferis ſub-

(e) Prax. l. cit. p. eadem.

ſuppreſſam tranſpirationem reſtituere tentavi: Sic enim plerumque a morbo liberatus fuit aeger, quia id, quod morbum induxerat, iterum ad cutim deferebatur. Idem fere animadvertimus a ſubito terrore, quo vaſa cutanea ſubito conſtricta liquidum perſpirandum ad inteſtina repellunt, ut in ſalutem aegrotantis illico eliminetur per alvum.

Quodſi autem a moerore diarrhoea ſurrexerit, pleruinque funeſta eſſe ſolet: Perdurante enim praeprimis hocce animi pathemate, ſummus tandem corpori inducitur languor, laeditur inde digeſtio, vaſa primarum viarum inſugentia ſucceſſive ſuum tonum amittunt; Sic oritur inde diarrhoea peſſima, quam inſanabilem pronunciat Baglivius (*f*), quum tandem atrophia pereant aegrotantes.

In variolis confluentibus ſalubris quoque diarrhoea eſt. Sic enim id perſpirabile, quod per vaſa cutanea ſecedere haud valet, eliminatur per alvum (*g*).

§. VII.

Mucus morboſus.

Si mucus nimia in copia intra inteſtina ſeſe accumulat, calore loci ſenſim acer redditus diarrhoeam mucoſam conſtituit, qua id, quod in hocce canali ſuperabundans eſt, eliminatur. Haud raro autem ille mucus tantam acquirere ſolet tenacitatem, ut non, niſi difficillime et multis ſub doloribus per alvum excerni valeat, ita, ut veram dyſenteriam tum mentiatur; *Pituitam vitream* vocaverunt veteres medici.

§. VIII.

Variae diarrhoeae ſpecies.

Reſtat *diarrhoea veterum atrabiliaria*, non autem ab atra bile

(*f*) Idem l. cit.
(*g*) Cf. Sauvages l. c.

bile derivanda, ſed a materia nigra, quae picis liquatae ad inſtar ſaepius excerni ſolet. Morbum nigrum vocavit HIPPOCRATES, quem peſſimum aut letalem eſſe aſſerit. Ab infarctu vaſorum ventriculi derivant KAEMPF eiusque adſeclae, ſed haec aſſerta non ſunt omni exceptione maiora.

Diarrhoea praeprimis *ſcorbuticos* aggredi ſolet, illamque ſaepiſſime hicce locorum funeſtam obſervavi; Scorbutus enim quandoque adeo rebellis eſt, ut omnia medicamina a multis et Cl. Viris decantata prorſum eludat.

Diarrhoea bilioſa ab abuſu inprimis pinguium rancidorum, ab aſſumtis nimia in copia carnibus animalibus, a bile quoque in cholericis ſub tempeſtate calida et humida generata, a ſpaſmis vel a nimia nervorum mobilitate derivandis, qua bilis copioſius effunditur (*h*). Illa admodum periculoſa eſt, quandoque autem critica in variis febribus. BAGLIVIUS annotat (*i*), quod, ſi in diarrhoea bilis crocea excernatur, omnes plerumque moriantur.

§. IX.

Epicriſis diarrhoeae ſuperius memoratae.

Quaeritur nunc, ad quamnam diarrhoeae ſpeciem illa, de qua ſupra in obſervatione mentionem feci, referenda ſit? Inteſtina craſſa multa bile turgida erant, quae autem neque amara, neque acris erat, eodem fere modo, ac illa in foetu ſeſe habet. Concludo hinc ad huius bilis inertiam, ſed unde haec ſit, iterum quaeritur. Primum a magno totius corporis languore, tempeſtate, praeſertim calida et humida, inducto, qua quippe tempeſtate creberrimae obſervantur eiusmodi diarrhoeae, ſed perrarae eſſe ſolent hiemali tempore. Dicto languore pervertitur iuſta ſanguinis craſis, impediuntur legitimae ſe — et excretiones,

(*h*) Stoll l. c.
(*i*) L. c.

nes, ſecreta non gaudent iuſta principiorum mixtione, ergo ſunt inertia. Hisce ſub circumſtantiis et ipſa bilis iners erit, deficit itaque inteſtinorum canali conſuetus ſtimulus, languidus nunc fieri debet eiusdem motus vermicularis, et quidem languidiſſimus ob debilitatas muſculares fibras, hinc hancce diarrhoeam perpetuo excipit lienteria. Secundo ad bilis inertiam concludo a multo potu acido, ex farina cum aqua fermentante parato, (Ruſſi quaſs dicunt) quem magna in copia ingurgitant; Acida enim bilem enervare, notiſſimum eſt. Idem tunc inprimis fiet, ſi ſpiritus frumenti deficit.

§. X.

Vlterior argumenti probatio.

Veritas mox dictorum quoque medicamentis adiuvantibus eluceſcit. Nunc enim mutavi methodum hactenus conſuetam, et leni ſolummodo, eccoprotico ex rheo praemiſſo, ſtatim confugi ad amara, corticem Peruvianum et rheum toſtum, et ſic maximo cum gaudio obſervare licuit, plurimos hacce diarrhoea laborantes aegrotos cum ſanitate in gratiam rediiſſe, niſi nimis ſero in noſocomium adducti fuerint, quum quippe ſigna diarrhoeae malignae ſeſe iamiam manifeſtarunt. Cur autem inteſtina craſſa tota, quanta quanta ſunt, ſphacelata apparebant? Putredinem praeter alias cauſas etiam a languido nimis humorum motu, debilitatis quippe ſolidis, oriri notum eſt. Scorbutus ab vita ſedentaria ortus, ſenum atque infirmorum gangraena id teſtantur; A nimio hinc languore producta fuit non modo lienteria, ſed et morbi maligni ſymptomata, quum nihil viribus vitalibus magis inimicum ſit, quam putridum miaſma, vel extus admiſſum, vel quoque in ipſo corpore genitum. Sed haec per temporis anguſtias dixiſſe ſufficiant.

CURRICULUM VITAE.

Ego Abrahamus Fridericus Europaeus *die decimo octavo, anno* 1766 *natus ſum in Finnlandia Roſſica, quae ad provinciam Wiburgenſem pertinet. Pater optimus fuit* Matthias Reinholdus Europaeus, *qui in dicta provincia munere eccleſiae paſtoris fungebatur, mater autem* Catharina *nata* Dannenberg. *Quum per aetatem liceret, anno* 1775 *tradidit me pater magiſtris ſcholae cathedralis, quae Wiburgi eſt, ubi praeter alia quoque in lingua latina erudiebar. Anno* 1782 *in ſcholam noſocomii militaris Petropolitanae, tanquam diſcipulus, receptus ſui, ut ibidem Chirurgiam atque Medicinam addiſcerem. Anno* 1784 *ſubchirurgus ad legionem militarem miſſus ſui. Anno* 1788 *de novo ſcholam illam chirurgico-medicam adibam ad ſtudia mea ulterius continuanda. Anno* 1789 *examine tentatus et a Collegio medico Chirurgus atteſtatus ad legionem iterum miſſus ſui; ſequenti autem anno munere chirurgi, cui ſumma militum aegrorum cura demandata eſt, in gubernium Penſenſe abii, in quo adhucdum munere Doctoris ſungor.*